trumque contra hæreticos, queis passim consequentias imputârunt. V. Praxis Theologorum Reformatorum, qui & Evangelicis, Augustanæ Confessioni addictis, & Remonstrantibus consequentias invidiosas obtrudunt. VI. Summa hujus imputationis utilitas, ut errantes ad absurdum falsitatemque errorum agnoscendam deducantur & pudefiant, iique, qui orthodoxam fovent sententiam, in orthodoxiâ confirmentur veritasque divina sarta tecta conservetur.

Contra imputationem verò legitimarum consequentiarum à dissentientibus haud agnitarum hæc urgeri solent. I. Summa hujus rei &prorsus palpabilis iniquitas. Etenim, quid iniquius est, quàm aliquid alicui obtrudere, quod non statuit, imò à quo abhorret? Et quis est, qui invidiosas consequentias imputari sibi facilè patiatur? Quod itaque tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Itaque ergò ejusmodi imputatio & contra veritatem & contra charitatem impingit. II. Summa imputationis hujus inutilitas, imò damnum summum, ex eâ quod profluit. Certè enim adversarii sic non convincuntur sed exacerbantur & vi passionum suarum abducti dein in sententiâ suâ permanent atque pertinaciam sibi induunt, ex quâ lites infinitæ certaque scandala gignuntur. III. Rigor nimius, quo hâc ratione contra dissentientem insurgimus. Poscit enim lex charitatis, ut infirmitates proximi tàm severâ censurâ haud damnemus. Vide Gal. VI. 1.

DECISIO.

Jam itaque, si sanioris judicii lucernam rebus curatiùs inspiciendis admoveamus, facilè patebit, quid ad decisionem hujus quæstionis dicendum sit. Ut verò acu rem tangamus, regulas quasdam in imputatione consequentiarum probè observandas dabimus, atque, quæ dicemus, quæ proponemus, ita inflectemus, ut, quicunque circa determinationem hujus quæstionis dissentire & diversas in vias abire videntur, in unum vel tandem amici coeant & mutuos in amplexus mutuaque in oscula ruant. Via hæc irenica est

& amoena, ingredienda ſemper, ubicunque per rerum ſitum id licuerit. Scilicet in theoriâ hìc Theologi vix errant, etſi in praxi errent. Antequam verò ad rem ipſam adgrediamur, paucis præmonemus, I. nobis in hâc quæſtione noſtrâ ſermonem de conſequentiis falſis, illegitimis, contortis & inevidentibus, itidem de conſequentiis practicis, quæ à diſſentientibus admittuntur, prorſus non eſſe, ſed de conſequentiis legitimis, neceſſariis, evidentibus, logicis. II. dicta illa, quæ pro imputatione conſequentiarum logicarum ex erroribus legitimè deductarum allegantur, maximam partem haud ſatis ſtringere. Vel enim probant ſaltem, quòd liceat ex verbo divino conſequentias facere, illiſque eandem autoritatem cum expreſſâ ſanctiore literâ tribuere, vel conſequentiarum imputationem non urgent, ſed potius errorum à ſcripturis divinis & veritate fidei diſſenſionem vel objurgationem ſaltem hominum à praxi Chriſtianiſmi deviantium continent. Quin &, ubi Matth. VII. 16. 20. per καρπὸς conſequentiæ intelliguntur, ubi & Tit. I. 13. per vocem ἀποτόμως ad imputationem conſequentiarum alludi creditur, exegeſes haſce nimis longè petitas eſſe exiſtimamus. III. Nullam praxin vel veterum vel recentiorum hìc urgendam eſſe. Non enim quæritur, quid homines vel olim fecerint vel nunc faciant, ſed quid faciendum ſit? Et par pari referendum eſſe, nemo Theologus dixerit. Jam ad rem. Regulæ hæ ſunto.

Regula I.

Conſequentiarum, maximè è Sacra Scriptura petitarum earumque legitimarum uſus ex Eccleſiâ proſcribendus planè non eſt. Id quod contra Romanenſes, Socinianos & Anabaptiſtas Theologi notant. Quin, ſi conſequentiarum uſus proſcriberetur, vita & converſatio humana planè langueret omneque hominum commercium tolleretur. Imò & latiſſima impietati porta ſic pateret. Rectè MART. LUTHERUS in den Tiſch-Reden C. XXVII. f. 258. b. *Das iſt das regnum mundi, der Welt Reich und des Teuffels Canzeley, da die Folge verneinet, und vvas vorhergehet, zugelaſſen vvird, vvelches eine Sunde iſt, die nicht auſs Irrthum ſondern auſs verſtockter Boſsheit kömmt.* Hæc LUTHERUS.

Regula II.

Consequentiæ legitimæ ex verbo DEi petitæ idem cum verbo divino ejusdemque prorsus cum eo autoritatis sunt adeoque Spiritui Sancto in Scriptura Sacra loquenti omninò attribui debent. Ast secus se res habet cum scriptis humanis, ubi hâc ratione consequentiæ imputari non possunt. Ratio est, quoniam Spiritus Sanctus omnes consequentias in dicto latentes perspicit & falli nescit, secus homines, qui, si has vel illas consequentias è positione hâc vel illâ manantes vidissent, eam non posuissent.

Regula III.

Consequentiæ necessariò & legitimè ex erroribus fluentes, etiamsi ab errantibus haud agnoscantur, ipsis tamen erroribus licite imputantur. En, quid ajat Augustinus de doctrinâ Christianâ L. 2. C. 31. *Sunt etiam veræ connexiones ratiocinationis, falsas habentes sententias, quæ consequuntur errorem illius, cum quo agitur.* Et post pauca: *Ipsa tamen veritas connexionum non instituta sed animadversa est ab hominibus & notata.* Addit idem C. 32. *Qui dicit, cùm falsum est, quod consequitur, necesse est, ut falsum sit, quod præcedit, verissimè dicit, neque ipse facit, ut ita sit, sed tantùm ita esse demonstrat.* Et sane valet hîc illud Lucani:

In fabricâ si prava est regula prima,
Omnia mendosè fieri atque obstipa necesse est.

Regula IV.

Consequentiæ ex erroribus dissentientium legitimè fluentes ipsis, ubi eas haud agnoscunt sed abhorrent, im-

putandæ haud sunt, tanquam dogmata, quæ ab ipsis statuantur. Hinc iis, qui ex consequentiis hæreseos insimulantur, injuria fit, nec anathematismos ex consequentiis facere unquam licet. Scilicet, quòd probè hìc tenendum est, consequentiæ *erroribus* quidem ipsis rectè imputantur sed non *errantibus*, qui eas abhorrent. Patet ex his, quid tenendum sit de hisce JO. MEISNERI verbis in appendice ad examen catechismi Palatini sect. XII. de articulis fidei n. IX. p. 1108. exstantibus: *Destruitur autem fundamentum, non tantùm, cùm principale aliquod dogma in dubium vocatur, negatur & impugnatur sed alia etiam minùs principalia, quæ tamen cum principalibus arctissimè cohærent & quibus negatis aut sublatis illud quoque à posteriori & PER CONSEQUENTIAM evertitur. Ut, qui credit, Deum sibi peccata condonâsse & vitam æternam promisisse, simul statuere debet, eum in factis suis sanctum, promissis autem veracem esse, & quæ corde sentit, verbis eloqui. Quicunque verò docet, Deum quenquam ad peccata creare, ordinare, excitare, impellere ac per homines efficere, aliud verbis præ se ferre & hominibus annunciare quàm in corde sentit & facere decrevit, dicere, velle se omnes salvos facere, quod idem tamen nolit, is hactenùs DEUM sanctum, veracem & veridicum negat & talem constituit, cui nemo tutò credere & salutem suam committere queat, ac PER CONSEQUENS statuere non potest, DEum vitam æternam sibi promisisse. Item, qui credit, Christum θεάνθρωπον pro se mortuum esse, eum statuere oportet, unum Christum esse, qui Deus pariter ac homo sit. Si verò idem doceat, nullam naturarum ac proprietatum operationumque communionem locum habere, is hactenùs unionem naturarum solvit & duas personas duosque Christos constituit atque eo ipso fundamentum fidei PER CONSEQUENTIAM, quantum in ipso est, tollit.* Hactenùs JO. MEISNERUS, qui verò non saltem in eo errat, quòd consequentias errantibus imputat, sed & quòd errantibus subinde falsa attribuit.

Regula V.

Consequentiæ ex erroribus dissentientium legitimè & evidentissimè (id quod bene notandum est,)

tu-

fluentes, licet ab ipsis non agnoscantur, iisdem tamen imputari tantisper, sed summâ cum modestiâ, posthabitis omnibus affectibus omnique odio & litigandi pruritu possunt, ut dissentientes de errore suo convincantur & ad veritatem manu quasi sic ducantur. Haud malè Augustinus de doctrinâ Christianâ *L. 2. C. 31. Connexiones ad hoc inferuntur à bono & docto homine, ut in iis erubescens ille, cujus errorem consequuntur, eundem relinquat errorem, quia, si in eodem manere voluerit, necesse est, ut etiam illa, quæ damnat, tenere cogatur.* Et C. 33. *Ideò infertur verâ connexione, quod falsum est, ut eum, cujus errorem corrigere volumus, poeniteat concessisse præcedentia, quorum consequentia videt esse respuenda.* Et L. 1. contra Cresconium C. 20. *Verum est, neminem ad conclusionem falsam consequenter impelli nisi prius consenserit falsis, quibus eadem conclusio, velit, nolit, efficiatur, ac per hoc, qui cavet, ne se loquente consequantur falsa, quæ non vult, volens falsa caveat, quæ præcedunt.* Hactenùs Augustinus. Adde GISBERTI VOETII, Theologi quondam Ultrajectini dissertationem de argumentis Theologicis ab absurdo consequenti, sel. disp. Theol. P. IV. disp. 1. p. 1. sqq.

Regula VI.

Consequentiæ ex erroribus dissentientium legitimè & necessariò, imò & clarè fluentes dissentientibus, qui eas haud vident & abhorrent, nunquam imputantor, si aliis egregiis veritatibus eas ipsi evidentissimè subruant hisque veritatibus majus pretium, quam positionibus istis, ex quibus errores isti profluunt, ponant, si porrò consequentiis hisce, errores licet maximos efferentibus, nullum prorsus influxum in praxin fidei & pietatis permittant. Regulam hanc lex charitatis & æquitatis & prudentiæ Christianæ præscribit. Jam verò hinc patet, num consequentiæ, quæ ex absoluto Reformatorum decreto profluunt, rectè Reformatis imputentur.

Regula VII.

Lex charitatis Christianæ, cæteris paribus, poscit, ut potiùs dicamus, dissentientes errorem, quem statuunt, tantùm quoad verba, non sanè quoad sensum errare, quoniam tam perniciosæ consequentiæ, quas & eapropter haud admittant, exinde profluant, quam ut consequentias istas dissentientibus imputemus.

Regula VIII.

Satius est & prudentius, dicere, quòd dissentientium principia haud bene cohæreant, quam invidiosas consequentias, quas abhorrent, ipsis imputare. Facilè enim fieri potest, ut quis vel ex imbecillitate intellectus, quâ profectò multi autores, ii maximè, quos *fanaticos* nuncupant, laborant, consequentiam quandam haud videat, vel ex præjudicio, quod cum lacte matris imbibit, vel ex affectu errorem sibi eripi haud patiatur. Quin & subinde hîc *punctum honoris*, quod vocant, rebus accedit, ubi in defendendo errore pertinaciam induimus, ne errasse videamur. En quid ajat JO. CONR. DANNHAWERUS, Theologus perspicacissimus: *Datur in erroribus fides contradictoria. Es ist mehrmal geschehen, dass einer an einem Ort das Castell verfochten und geschüzet, am andern Ort dasselb offen und schirmloss gelassen.* Vide Reformirtes Salve und Frieden-Gruss p. 237.

Regula IX.

Consequentiæ perniciosæ, licet legitimæ, iis non imputantor, qui ante motam controversiam securius locuti sunt.

Regula X.

Consequentiæ ex erroribus manantes laicis, qui rem haud capiunt, nunquam imputari possunt. Magis autem imputari possunt Doctoribus, quibus notitia rerum

&

& perſpicacia haud deeſt & qui ex affectu quodam malo in erroribus mordicus defendendis & propagandis ſunt pertinaces.

Regula XI.

Quo perniciosiores ſunt conſequentiæ, quæ ex erroribus profluunt, eo perniciosiores ſunt errores ipſi, niſi, quod probè notandum, conſequentiæ hæ, affuſis veritatibus præſtantiſſimis, ſuffocentur & virus ipſarum tollatur. Notamus hîc ὡς ἐν παρόδῳ, nemini licere, controverſiæ cujuſdam momentum minuere vel ex fundamentali problematicam facere, id quod ſolidiſſimè notavit ſumme Rev. D. D. HOFFMANNUS in Synopſi Theol. p. 145. 146. qui ait, in tranſactionibus quidem civilibus poſſe quædam remitti, aſt in veritatibus divinis non item. Adde omninò SAM. PUFENDORFII Jus feciale divinum §. 7. p. 26. ſqq. ubi inter alia rectè Vir ſummus ait: *Ut aliqua quæſtio problematica & indifferens declaretur, non ab arbitrio hominum pendet.*

Regula XII.

Conſequentiæ perniciosæ erroribus, ex quibus profluunt, magnum momentum haud adſundunt, ſi in praxin fidei & pietatis eas influere haud patiamur eæque adeo merè theoreticæ & cerebrinæ ſint.

CORONIS.

Et ſic quidem, cauſſâ ſatis peroratâ, umbilicum libello huic imponimus, exiſtimamuſque, fore, ut, ſi, hiſce cautelis adhibitis, conſequentiæ imputentur, *erroribuſque magis quam errantibus impingantur*, ſi & hâc rebus, quam commendamus, moderatione adhibitâ, in diſputationibus, quæ cum Reformatis nobis intercedunt, procedatur, jurgia magis magiſque minuantur, &, quod bonus quiſque animitùs exoptat, *fiſſura Sionis*, ſalvo utrinque fidei fundamento, ſenſim ſenſimque *coeat.*